

potestatem conferendi sex beneficia, derogatur absque ulla prioris mentione per posteriorem gratiam specialem, qua Pontifex postea cuiquam specialiter mandavit de certo canonicatu provideri, adeo ut hunc canonicatum Titius conferre non possit: « nam (ut argumentatur Pontifex) primæ generali gratiæ tibi Titio factæ derogat posterior specialis, licet de illa non fecerit mentionem. »

117. *Dummodo per prius nondum fuerit cuiquam jus quæsitum. Papa non censetur jus quæsitum alicui tollere, nisi id exprimat.* — Additur notanter n. 115: « Dummodo per hoc parti, vel tertiæ personæ necdum fuerit jus quæsitum. » Siquidem præsumendum non est, quod Papa, vel alius princeps, per posterius speciale privilegium, absque majori examinatione et usæ, suæque voluntatis expressione, velit alicui præjudicium afferre, aut jus cuiquam quomodolibet quæsitum tollere, text. clar. c. *Quamvis is*, 8, de *Rescript.*, in 6. Quinimo ad præcludendas pravas quorundam suggestiones, oppositum solent Pontifices declarare, ac novissime declaravit S. D. N. Innocentius PP. XII. in reg. 18 Cancellariæ, quæ inscribitur: « De non tollendo jus quæsitum. » Concordat, c. *Ex tua*, 9, de *Filiis presbyt.*, ubi Pontifex dispensationem cum aliquo factam virtute privilegii dispensatori concessi, decernit non revocari, neque collationem beneficii exinde factam irritari posteriorum litterarum apostolicarum intuitu: quia videlicet dispensatis, et provisus, jam fuerat jus in beneficio quæsitum. Simile quid habetur, cit. c. *Quamvis tibi*, § fin. de *Præbend.*, in 6, uti colligere licet ex illis verbis: « Antequam tu conferas: » quia videlicet per collationem beneficii factam ab eo, qui conferre poterat vi privilegii, jus tertio quæsitum foret; sicque non amplius locum haberet collatio ejusdem, postmodum cuiquam per Papam specialiter facta, vel fieri mandata, de qua ibidem est sermo.

118. *Idque extenditur ad jus quæsitum ipsi privilegiato.* — Hoc ipsum procedit de jure quæsito ipsi privilegiato: nam si Papa per privilegium concesserat cuiquam omnes decimas alicujus parochiæ, et ipsi jam fuerat acquisitum jus in re ad singulas species, non amplius tali juri derogatur per posteriores litteras speciales absque alia expressione. Abbas, cap. 1, n. 10, h. t.; Layman, lib. 1, tract. IV, cap. xxiii, n. 27 et alii.

§ V.

DE INTERPRETATIONE RESCRIPTORUM, NEC NON ET PRIVILEGIORUM.

119. *In omnibus rescriptis, atque privilegiis, si verba sint clara, ea intelligenda sunt secundum propriam significationem.* — Quæritur I. Qualis interpretatio in rescriptis præsertim justitiæ, seu ad lites, sit facienda? Resp. I. Generalim loquendo tam in rescriptis justitiæ, et ad beneficia, quam in litteris mere gratiosis, ipsisque privilegiis, quando verba sunt clara, ea intelligenda, atque interpretanda sunt secundum propriam significationem, et communem usum loquendi. Ita Abbas, in c. *Causam quæ*, num. 1, et c. *Nonnulli*, n. 3, h. t. Innocentius, Bartolus, et alii communiter. Nam ut l. *Ille aut ille*, 23, ff. de *Legatis* III, dicitur, « Cum in verbis nulla est ambiguitas, non debet admitti voluntatis quæstio. » Et l. *Non aliter*, 67, ff. eod. ibi: « Non aliter a significatione verborum recedi oportet, quam cum manifestum est aliud sensisse testatorem. » Idem igitur, et quidem a fortiori, dicendum erit de rescriptis, seu litteris supremi principis, c. *Ad audientiam*, 12, de *Decimis*: ubi proin Glossa fin. infert, ac pluribus aliis allegatis juribus probat, « quod a forma verborum sine certa scientia non est recedendum. » Concordant dicta superius, tit. præc., § 16, num. 389 et seqq., agendo de regulis in legum interpretatione observandis, quæ una cum suis limitationibus, ac declarationibus (servata tamen proportionem) huc applicanda erunt. Et hæc sunt certa, et communiter recepta; prout amplius ostendit Barbosa, axiomat. 222, num. 4 et seqq. Quid autem sit dicendum in dubio, oportet de singulis seorsim loquendo, clarius exponere. Hinc,

120. *In dubio rescripta justitiæ sunt interpretanda secundum jus commune.* — Resp. II. Loquendo speciatim de rescriptis justitiæ, seu ad lites, hæc in dubio, atque ubi de contraria principis intentione, et voluntate non constat, debent intelligi, ac interpretari secundum jus commune, ita ut quam minimum ab eo recedatur, etiamsi oporteat id facere per impropriationem verborum, ac transpositionem clausularum. Ita desumitur, ex c. *Causam* quæst. 18, h. t., ubi circa hoc habetur casus, et decisio singularis, ac notat ibidem Abbas, n. 1; Felinus, n. 9; Fagnanus, n. 4

§ V. DE INTERPRETATIONE RESCRIPTORUM, NEC NON ET PRIVILEGIORUM. 237

et alii communiter. Ratio est, quia rescriptum justitiæ conceditur ad juris observantiam, nec debet aliquid continere contra jus commune: alioquin enim, vel non valet, c. *Rescripta*, 23, q. 2, vel, si constet de contraria voluntate concedentis, mutat nomen rescripti, et transit in privilegium, juxta Glossam, cap. 1, §. *Noscat.* de *Constitut.*, in 6. Ergo in dubio, et quando non patet de alia mente concedentis, debet rescriptum ita intelligi, ut non obviet juri communi, neque operetur contra naturam suam.

121. *Eaque sunt strictæ interpretationis, neque extendenda ad casum, vel personam non expressam.* — Resp. III. Insuper rescripta justitiæ sunt strictæ interpretationis, ac proinde ad casum, vel personam in rescripto non expressam, minime extendenda. Ita Glossa, in c. *Nonnulli*, 26, §. *Lites restringendæ*, h. t. Felinus, in d. c. *Causam quæ*, n. 8, h. t., asserens, quod rescripta ad lites sint strictius interpretanda, quam rescripta ad beneficia ecclesiastica; Pirhing, h. t., n. 17 et alii. Ratio est, quia per rescripta ad lites detrahatur jurisdictioni judicium ordinariorum; simulque per ea præbetur ansa, et materia litigandi; ergo merito censeri debent esse odiosa, sicque restringenda, nec extendenda ultra casus, et personas expressas: cum « lites restringendæ sint potius, quam laxandæ, » cit. c. *Nonnulli*, § *Cum autem*.

122. *Sub clausula, et quidam alii, in rescripto justitiæ non comprehenduntur personæ majores, et digniores expressis.* — Sequitur proinde primo, quod si quis obtinuerit rescriptum, in quo sunt designatæ personæ minores, vel viliores, quas in judicio convenire valeat, addita clausula generali, « Et quidam alii: » vi hujus clausulæ non possint conveniri personæ majores, vel digniores, sed solummodo pares, vel minores expressis, text. clar., c. *Sedes apostolica*, 13, h. t. Et quod hic dicitur de personis, pariter procedit de rebus, seu causis; adeo, ut si in rescripto designentur causæ, seu res leviores, addita clausula, « Cognoscatis super his, et quibusdam aliis: » vi hujus non possint cognosci res, et causæ majores, seu graviiores expressis, cit. c. *Sedes*, § *Nec super*. Et merito: nam dictio *Alius, Alia*, ex propria sua significatione stat implicative, et est repetitiva similium; sicque in proposito non involvit personas, res, vel causas majores expressis, sed solummodo pares aut minores: alioquin quippe rescripta ad

lites non restringerentur, sed nimium extenderentur.

123. *Neque effrænata multitudo.* — Sequitur ulterius, quod sub dicta generali, et indefinita clausula, « Et quidem alii, » non comprehendatur effrænata multitudo, ut cit. c. *Sedes apostolica*, notatur. Quia imo, ne lites nimium laxentur habenæ, provide, cap. II, h. t., in 6, statuitur, ut per illam generalem clausulam, « Quidam alii, » quæ frequenter litteris apostolicis inseritur, solummodo tres, vel quatuor personæ in judicium trahi, seu conveniri possint: simulque horum nomina in primo citatorio teneatur impetrator exprimere, ne locus fraudibus forsitan relinquantur, si circa ipsas posset libere variare.

124. *Per rescriptum impetratum contra homines diœcesis, v. g. Sagiensis, non possint conveniri homines civitatis Sagiensis. In materia, strictæ interpretationis, nomine diœcesis non comprehenditur civitas.* — Sequitur tertio, quod per rescriptum impetratum contra homines certæ diœcesis, v. g. Sagiensis, non possint conveniri homines civitatis, v. g. Sagiensis; prout decisum habetur, c. *Rodolphus*, 33, h. t. Ratio est, quam indicat Abbas, ibid., n. 4. Quia in materia strictæ interpretationis, appellatione diœcesis non comprehenditur civitas; licet secus sit in materia larga, et favorabili, vel saltem indifferenti, cap. un., juncta Glossa, §. *Diœcesi*, de *Rerum permutat.*

in 6, et c. *Cum episcopus*, 7, de *Offic. Ordin.*, in 6. Atqui materia rescriptorum ad lites est odiosa, et restringenda, ut dictum; ergo.

125. *Nec per rescriptum impetratum contra hominem unius diœcesis, potest conveniri homo alterius diœcesis.* Sequitur tandem, et quidem a fortiori, quod per rescriptum impetratum contra hominem unius diœcesis, non possint conveniri homo ejusdem nominis alterius diœcesis; prout habetur, c. *Significante*, 34, h. t. Siquidem rescriptum non extenditur ad personam in eo non expressam, ut loquitur Abbas, ibid., n. 1. Et quia non infrequens est, quod plures vocentur eodem nomine, expressa alia diœcesi non constat de corpore personæ, sive quod rescriptum fuerit impetratum contra hanc numero personam, quæ est alterius diœcesis; ac proinde erroriste versatur circa substantialia. Verum de errore in nomine diœcesis, plura inferius, h. t., n. 221 et seqq.

126. *Rescripta gratiæ, et ad beneficia, qualiter sint interpretanda.* — Quæritur II. Qualiter in dubio interpretanda sint rescripta gratiæ

atque beneficia ecclesiastica? Resp. I. Licet in beneficiis principum, quæ nulli præjudicant, plenissima seu amplissima sit interpretatio faciendâ, nihilominus rescripta super beneficiis ecclesiasticis obtinendis, tanquam ambitiosa, stricte sunt interpretanda, et restringenda. Ita communis, et habetur expressum, c. *Quamvis*, 4, de *Præbend.*, in 6, ibi: « Quamvis plenissima sit alias in beneficiis interpretatio faciendâ, litteræ tamen super obtinendis beneficiis debent, cum sint ambitiosæ, restringi. »

127. *In beneficiis stricte sumptis amplissima est interpretatio faciendâ.* — Et quidem prior pars procedit de beneficio stricto sumpto, ac prout illud contradistinguitur a privilegio, quod est contra jus commune, et rescripto, quod est secundum jus commune; ut notat Fagnanus, in c. *Olim*, num. 4 et seqq., de *Verb. signif.* In quo sensu beneficium aliud non est, quam gratia quædam ex liberalitate concedentis facta sine præjudicio tertii, præter jus commune, ut dictum supra, num. 48 et 49. Atque in hac acceptione beneficium, si quando vergit in præjudicium concedentis, est contra ipsummet concedentem plenissime interpretandum; per textum jam allegatum, juncto, c. *Cum dilecti*, 6, de *Donationib.* et c. *Olim*, 46, de *Verb. signif.*, ibi: « Cum beneficia principum sint interpretanda largissime. » Et ratio est, quia, si princeps concedens voluisset non tam largam contra se fieri interpretationem, potuisset quæ placuissent excepisse, prout notavit Pontifex, in c. *Quia circa*, 22, de *Privileg.*, ibi: « Cum nihil exceperit, et potuerit excepisse; ac in beneficiis plenissima sit interpretatio adhibenda. » Unde, hæc strictior beneficii interpretatio excogitata fraude sua obviat liberalitati, ut loquitur Glossa, fin. in cit. c. *Quia circa*, contra principem concedentem fit amplissima interpretatio.

128. *Rescripta ad beneficia ecclesiastica, veluti ambitiosa, sunt stricte interpretanda.* — Altera pars, loquens de rescriptis ad beneficia ecclesiastica obtinenda, et restringendis, eo quod sint ambitiosa (hoc est, ambitionem sapiant, et per hanc nonnunquam importunius obtineri soleant) probatur, et declaratur ulterius inductio. Sic quippe, in cit. c. *Quamvis*, 4, de *Præbend.*, in 6, Pontifex ex jam allegata ratione declarat, quod si cuiquam de beneficio obtinendo usque ad certam summam provideri mandatur, ei non in pensione, sed in beneficio ecclesiastico tan-

tum sit providendum. Et ibid., § *Quamquam*, subjungitur, quod, licet alias sub nomine ecclesiarum civitatis, comprehendatur ecclesia cathedralis, ut cap. 1, de *Austorit. et usu pall.*, tamen quando alicui de beneficio mandatur in aliqua ecclesiarum civitatis, vel diœcesis provideri, tale mandatum ad ecclesiam cathedralem se non extendat.

129. *Declaratur hoc inductione, atque exemplificatur.* — Insuper, in c. *Cui de non sacerdotali*, 27, eod. in 6, habetur, quod si cuiquam per rescriptum apostolicum mandatur conferri præbenda non sacerdotalis, vel integra, vel certi valoris: eidem etiam volenti, et consentienti, non possit vi talis mandati conferri præbenda sacerdotalis, vel præbenda dimidia, aut minoris valoris. Cujus ratio est: quia hujusmodi rescripta ad beneficia, utpote ambitiosa, restringi debent, sicque ne utquam extendi ad casus non expressos; eo præsertim, quod hæc talium mandatorum diligentem servari oporteat, prout ibidem subjungitur. Tacentur alii similes casus.

130. *In privilegiis, qualis interpretatio locum habeat? Quando in his agitur de præjudicio solius concedentis, fit amplissima interpretatio.* — Quæritur III. Qualis interpretatio locum habeat in privilegiis? Resp. cum Abbate, in cap. ult., n. 22 et 23, de *Translat. episc.* Fagnano, in c. *Olim*, n. 45, de *Verb. signif.*, et aliis, hic esse distinguendum. Aut enim in privilegio agitur de præjudicio solius concedentis: et sic, cum illud non tam sit privilegium, quam beneficium stricte acceptum, fit amplissima contra concedentem interpretatio, juxta dicta, num. 127. Hinc in præjudicium concedentis verba generalia, et indefinite prolata, ad futura extenduntur; ut est casus singularis, in c. *Quia circa*, 22, de *Privileg.* ubi, cum episcopus secundum canones, ac de concensu capituli sui, cuiquam Ecclesie remisisset indefinite decimas episcopales, Papa consultus respondet, censeri remissas decimas non solum præteritas, sed etiam futuras.

131. *Dummodo hinc excipiatur privilegium concessum ab Ecclesia Romana.* — Excipe tamen privilegium concessum ab Ecclesia Romana, quæ in suum præjudicium non presumitur quemquam privilegiare, arg. c. *Cum instantia*, de *Censib.*, ibi: « Quod non credimus; » juncta Glossa ibidem: quem textum ad hoc dicit notabilem Ludov. Romanus, consil. 498, n. 8, ac sequitur Fagnanus, loc. cit. n. 47.

132. *Si in privilegio agitur de præjudicio tertii, vel juris communis, fit stricta interpretatio.* — Aut agitur in privilegio de præjudicio tertii, vel juris communis: et tunc fit stricta interpretatio. Prima pars desumitur, ex c. *Super eo*, 15, de *Offic. delegat.*, ibi: « Non tamen est nostræ intentionis diœcesano episcopo præjudicium generare. » Concordat textus, in c. *Licet*, 12, de *Offic. ordin.*, et c. *Cum capella*, 16, et c. *Pastoralis*, 19, et c. *Dudum*, 31, de *Privileg.*, juncta Glossa, et doctoribus ibid. inde inferentibus, quod Papa nullius juri intendat derogare, nisi forsitan hoc expresserit. Atque idcirco privilegium præjudicans tertio, in dubio, ac nisi aliud in ipso fuerit expressum, civiliter, et temperate est intelligendum; ita ut, quanto minus fieri possit, juri alieno præjudicet: ac proinde ob identitatem rationis non est extendendum de casu ad eam. Concordant dicenda inferius, num. 142.

133. *Omnis recessus a jure communi est odiosus.* — Ratio posterioris partis est, quia omnis recessus a jure communi, censetur odiosus, cap. 1 et 2, de *Filiis presbyt.*, in 6, juncta reg. 28 juris in 6, cum concordantibus. Nec obstat, quod privilegia talia contineant favorem. Resp. enim, quod licet hujusmodi privilegia in præjudicium juris communis obtenta, sint favorabilia, quatenus respiciunt privilegiatum, eadem nihilominus censentur odiosa, quatenus a jure communi exorbitant: ac proinde, cum favor juris communis præponderet favori privato, erunt stricte interpretandi, sicque restringenda, et interpretanda, ut quantum fieri potest, minus lædatur jus commune.

134. *Notabilis objectio, probans nullum privilegium esse late interpretandum. E jusque solutio. Hæres censetur esse eadem persona cum testatore.* Dices. Si omne privilegium, quod tendit in præjudicium tertii, vel juris communis, est stricte interpretandum; ergo nullum erit privilegium, quod est latissime interpretandum contra dicta numer. 130. Probatur sequela: quia omne privilegium utpote privans legem, can. *Privilegia*, dist. 3, est contra jus commune, et contra jus tertii, saltem successoris ipsius concedentis; ut patet in casu, cit. c. *Quia circa*, 22, de *Privileg.*, ubi remissio decimarum partim derogat juri communi, attribuenti episcopis proprias decimas; partim præjudicat successoribus episcopis, qui ex tali sui antecessoris privilegio Ecclesie facto imposterum tenentur

carere fructibus illarum decimarum. Resp. neg. sequel. Nam imprimis, ut taceatur, quod hæres censetur esse eadem persona cum testatore, auth. *De jurejurand. a morient. præstit.*, collat. 5, cum similibus: etiam in beneficiis ecclesiasticis gesta per prædecessorem canonice facta, seu nomine ecclesie, et concurrentibus aliis de jure requisitis, extenduntur ad successorem, c. *Is qui in jus*, 46, de *Reg. jur.*, cum similibus: licet secus sit dicendum de illis, quæ inter personas potius, quam inter Ecclesias facta videntur, c. *Veniens*, 8, de *Transactionib.*

135. *Regula illa: « Privilegium concessum contra jus est stricte interpretandum, » patitur plures limitationes.* — Deinde axioma illud, quod « Privilegium concessum contra jus est stricte interpretandum, » patitur nonnullas exceptiones, atque fallentias. Et primo quidem, quantum attinet ad propositam objectionem, debet illud intelligi, et restringi, nisi privilegium præjudicet ipsi tantum concedenti: alioquin quippe censetur esse beneficium principis, sicque latissime interpretandum, haud obstante, quod illud in aliquo deroget juri communi, dummodo hoc fiat respectu juris communis concernentis concedentem. Abbas, in cap. ult., n. 12, de *Translat. episc.* Et istud accidit, in cit. c. *Quia circa*, ubi idem Abbas, n. 4, notanter subjungit, quod si dictam privilegium remissionis decimarum episcopaliu fuisset concessum a Papa, et non ab ipsomet episcopo, cum concensu capituli sui, id etiam strictissime fuisset interpretandum; quia tunc præjudicaret juri ordinarii, sicque alicui tertio.

136. *Solum procedit, quando verba privilegiis sunt dubia: secus, si clara.* — Ulterius memoratum axioma procedit solum in dubio; secus ubi verba privilegii sunt clara: quia tunc a verbis ejus non est recedendum, sed servanda verborum proprietas, haud obstante præjudicio tertii, vel juris communis, prout, num. 119, jam dictum.

137. *Et dummodo privilegium adhuc aliquid operetur. Privilegium ita debet interpretari, ut aliquid conferat, et non reddatur inutile.* Limitatur insuper dictum axioma, dummodo privilegium adhuc aliquid operetur seu conferat, card. Tuschus, litt. U. concl. 85, n. 65; Barbosa, axiomat. 222, n. 15, cum aliis. Alioquin enim fit lata interpretatio, etiamsi agatur de alterius, vel juris communis præjudicio, ne privilegium sit inutile, ut habetur, c. *In his*, 30, de *Privileg.*, ibi: « Ita quod

dicti fratres aliquam ex indulgentia nostra videantur in hoc gratiam consecuti.» Ubi Glossa inquit: «Indulgentia enim (seu privilegium) semper debet aliquid conferre: alias delusoria esset indulgentia principis.»

138. *In privilegiis favore cultus divini concessis fit lata interpretatio, etiam in præjudicium tertii.* — Limitatur quarto allegatum axioma, ut non procedat in privilegiis concessis favore cultus divini: quia in talibus fit lata interpretatio, etiam in præjudicium tertii. Fagnanus, in c. *Olim*, n. 25, de *Verb. signif.*, post Calderinum, consil. 422, alias 6, de *Privileg.*, et patet ex cit. c. *In his de Privileg.*, ubi dicitur: «In his, quæ ad cultum divinum facere dignoscuntur, non maligna, sed benigna est potius interpretatio facienda.» Unde Laymanus, lib. I, *Theolog. moral.*, tract. IV, cap. xxiii, n. 5, post Sylvestrum, v. *Privilegium*, quæst. 3. Suarez, lib. VIII, de *Legib.*, cap. xvii, n. 7 et alios, hoc ipsum exemplificans, merito docet, quod privilegium datum in favorem causæ publicæ piæ, religiosæ, alteriusve favorabilis, puta privilegium exemptionis clericorum a jurisdictione principum sæcularium, et religiosorum a jurisdictione ordinariorum, ample sit interpretandum in favorem religionis. «Nam summam esse rationem, quæ pro Religione facit,» habetur expressum in l. *Sunt personæ*, ff. de *Religios. et sumptib. funer.* (ADNOTATIO XXV).

139. *Privilegia concessa in favorem publicum, late sunt interpretanda.* — Huc deserviunt, quæ habet Lessius, lib. II, de *Just. et jur.* cap. xlii, n. 6, videlicet privilegia, quæ sunt concessa in favorem publicum, v. g. privilegia concedentia facultatem, dispensandi, et commutandi vota, quæ conceduntur non alicui particulari, sed integro ordini, non censi mera privilegia, et odia juris, sed potius favorem ac beneficium principis: ac proinde late esse interpretanda, eo præsertim, quia talia sunt beneficia non tam ordinis, quam populi christiani.

140. *Sicut et privilegia motu proprio principis concessa.* — Limitatur ultimo sæpe dictum axioma, quando privilegium, licet contra jus commune datum, motu proprio ipsius principis concessum fuit: tunc enim amplam potius interpretationem meretur, veluti quod prius principis beneficium est, atque ex certa scientia datum censetur; ut c. *Si motu proprio*, 23, et c. *Sipluribus*, 24, de *Præbend.*, in 6; Layman, cit. cap. xxiii, n. 5; Suarez,

d. cap. xxvii, n. 8, et alii. Nam temerarium est, et perabsurdum, liberalitatem principis non ad augmentum privilegiorum, sed diminutionem convertere, sive interpretari velle, l. *Hac consultissima*, C. de *Agentibus, in rebus*, lib. XII.

§ VI.

DE CLAUSULIS, ET FORMA RESCRIPTORUM
NECESSARIO OBSERVANDA.

141. *Clausula*: «Si ita est, Si preces veritate nitantur», in *rescriptis vel apponitur vel subintelligitur.* — Quæritur I. Quænam clausulæ in rescriptis communiter apponantur, vel saltem subintelligi debeant? Resp. Hujusmodi clausulæ sunt plures, potissimum vero sequentes. Prima est, «Si ita est», prout videlicet supplicans narraverat; sive, quod idem est, «Si preces veritate nitantur.» Et hæc in omni rescripto ad instantiam partis emanato, etiamsi non apponatur, semper est subintelligenda, text. clar., cap. ii, h. t. Unde si opponatur, narrata non esse vera, onus probandi incumbit impetranti, ut notat Abbas, ibid., n. 3. Quinimo de rigore juris civilis necesse est, ut dicta clausula expresse rescripto inseratur; adeo, ut si non sit apposita, non valeat rescriptum, L. ult. C. de *Divers. rescript.* Verum de hac clausula plura in § seqq., agendo de subreptione rescriptorum.

142. *Idem dicendum de clausula*: «Salvo jure alterius.» — Altera clausula, quæ in rescriptis tum justitiæ, tum gratiæ, vel apponi solet, vel subintelligi debet, est illa, «Salvo jure alterius.» Nam Papa non intendit ullius juri derogare, sed vult jus suum cuilibet manere illæsum, nisi aliud exprimat, c. *Pastoralis*, 19, de *Privileg.*, et can. de *Eccllesiasticis*, 25, q. 2, et can. *Nunc vero*, 9, q. 3, et c. *Ad aures*, 8, h. t. In quo proinde postremo loco, Glossa, v. *Intentionis*, pluribus aliis juribus allegatis notat, dominum Papam sic uni concedere beneficium, quod alium non lædat, vel gravet, saltem graviter, seu enormiter (modicum quippe præjudicium estimari non solet. Pirhing, h. t. n. 39, et Glossa, margin. fin., can. 1, dist. 85). Melius est enim, neutrum juvare, quam alterum lædere, can. *Denique*, 14, quæst. 5, etc. *Apostolicæ*, 9, § *Quia tamen, de Donationib.* Concordat illud Apostoli, II, *Corinth.*, viii, 13, dicentis: *Non enim volumus, ut aliis fiat re-*

§ VI. DE CLAUSULIS, ET FORMA RESCRIPTORUM NECESSARIO OBSERVANDA. 241

missio, vobis autem tribulatio. Et regula Cancellariæ 18, quæ inscribitur, «De non tollendo jus quæsitum.» Huc faciunt dicta superius, n. 132.

143. *De aliis rescriptorum clausulis. Remissive.* — Præter hæc generales clausulas, quæ cuivis rescripto ad instantiam partis emanato (nisi secus certis de causis exprimat) tacite insunt, atque non raro expresse apponuntur: dantur plures clausulæ speciales, quæ pro ratione materiæ subjectæ, ipsaque rescriptorum diversitate inseri consueverunt. Verum de his partim suo loco commodius agetur; partim consulendi erunt auctores, præsertim vero Augustinus Barbosa, et doctores per ipsum citati, in præclarissimis suis tractibus variis, qui «de axiomatibus juris, et clausulis, ac dictionibus usu frequentioribus» inscribuntur.

144. *Forma in rescriptis præscripta necessario est observanda: adeo ut actus sit nullus, si quoad aliquid substantiale non observetur.* — Quæritur II. An, et qua necessitate, forma in rescriptis præscripta observari debeat? Resp. Forma in rescriptis præscripta necessario est observanda; adeo quidem, ut ea quoad aliquid substantiale non observata, actus inde sequens ipso jure sit irritus. Patet hoc ex c. *Cum dilecta*, 22, h. t. ubi processus contra dati formam rescripti attentatus, irritus dicitur et inanis, hoc est, ipso jure nullus, et non primum per sententiam judicis irritandus, juxta Glossam ibidem §. *Irritum*; Abbatem Felinum, et alios, qui proin dictum capitulum ita summant: «Processus factus per litteras subreptitias irritatur, sed factus contra formam rescripti irritus nuntiatur.» Concordat textus in c. *Cui de non sacerdotali*, 27, de *Præbend.* in 6, ubi pariter in rescriptis ad beneficia obtinenda dicitur, «quod eorum fines diligenter servari oportet,» juncta l. *Diligenter*, ff. *Mandati*; cum similibus.

145. *Nec sufficit formam per aliud æquipollens implere.* — Accedit ratio in cit. l. *Diligenter* insinuata illis verbis: «Nam qui excessit, aliud quid facere videtur.» Quia videlicet commissarius, sive judex delegatus, nullam habet potestatem agendi, nisi quatenus hæc ipsi a delegante fuit concessa: ergo si ipse agat contra formam mandati, sive rescripti, hujusque limites a delegante positos excedat, nihil agit, cum nullam ad sic agendum acceperit potestatem, sed limitatam dumtaxat, videlicet juxta formam sibi præ-

scriptam, et sub tacita conditione, si eam observaverit, Pirhing, h. t. num. 44 et 45. Et hoc adeo verum est, ut non sufficiat formam in rescripto datam per aliud æquipollens implere: quia specificè est implenda, et observanda. Felinus in d. c. *Cum dilecta*, n. 10, ampliat, ii, h. t. post Baldum, et alios in L. 1, ff. de *Liberis et posthumis*.

146. *Secus dicendum, si quid non substantiale prætermittatur.* — Additur notanter num. 144, «ut ea quoad aliquid substantiale non observata,» etc. Nam non invalidatur actus, quando commissarius, sive judex delegatus, quidpiam in data sibi instructione positum prætermittit, si id non pertineat ad formam seu substantiam actus, sed potius concernat ejus qualitates, aut admonitionem seu instructionem quamdam convenientius procedendi in negotio, contineat; prout mox amplius declarabitur. Unde,

147. *Signa colligendi, an in rescripto quidpiam sit positum, pro forma substantiali, nec ne? Ubi in rescripto præfigitur certus ordo procedendi, præsumitur is esse de substantia.* — Quæritur III. Ex quibus signis colligi possit, quidpiam in rescriptis esse positum, seu præscriptum pro forma substantiali, nec ne? Resp. I. Ubi Papa, vel alius superior, in rescriptis præfigit certum ordinem procedendi, talis ordo semper præsumitur esse de substantia. Ita colligitur ex cit. c. *Cum dilecta*, ac notat Baldus ibid; n. 10, ubi ad hoc ipsum probandum allegat c. *Pisanis*, 19, de *Restitut. spoliat.* Unde, quando in aliquo rescripto mandantur duo, vel plura fieri, illud ante alia est expediendum, quod in ipso prius narratur, seu fieri præscribitur: alias ipso jure irritum erit, quod secus gestum fuerit; idque tum per rationem, tum per jura proxime allegata.

148. *Idem dicendum, si quid alio modo, vel in alium finem præscribitur in rescripto, ac jus commune requirit.* — Resp. II. Illa etiam censetur esse forma substantialis, quæ in rescriptis, seu mandatis apostolicis, alio modo, vel in alium finem præscribitur, ac jus commune requirit. Ita Covarruvias in c. *Alma mater*, part. I, § 9, n. 8, Abbas in cit. c. *Cum dilecta*, n. 12, et ibi Layman, n. 7, h. t.; Sanchez, lib. III, de *Matrim.* disp. 33, n. 4, et alii. Ratio est, quia tunc superior, ut puta Papa rescribens, censetur novum mandatum concipere, neque sub alia conditione, sive modo, quam expresserat, potestatem exequendi suo commissario, seu judici delegato